DICTIONIS AESCHYLEAE
IN DIALOGIS QUAE SINT PROPRIETATES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

O. WOLTERSTORFF.

IENAE, 1874.

TYPIS RATII.

Ut dictiones dialogicas singulorum tragicorum recte judicemus et discernamus non solum uniuscujusque natura indolesque sed etiam tempora quibus fuerint nobis sunt contemplanda. Nam cum Aeschylus natura austerus et sublimis, Sophocles pressus et suavis, Euripides docendo aptus et non tam dramaticus quam orator fuerit, Aeschylus primus sermonem tragicum excoluit et expolivit, Sophocles ad summum fastigium adduxit, Euripides corrupit et forensi dicendi generi adaptavit.

Itaque apud Sophoclem summam pro tragico, quem in diversis et ingeniis et animorum affectibus pingendis his diversitatibus sermonem ipsum accomodare debere nemo non concesserit, orationis constantiam et aequabilitatem, summam sententiarum varietatem et colorem, verba summa diligentia lecta et exquisita, denique totum dialogi sermonem omnibus numeris ita perfectum et absolutum, ut in bonam partem jam nihil mutari possit, invenimus; apud Euripidem eandem fere ac potius majorem quam apud Sophoclem sermonis aequabilitatem ita ut non tam more tragico personas ex animorum affectibus loquentes fingat quam more forensi res inter se ponderet, facilitatem et levitatem a cothurno, quem nunquam deseruit Sophocles, persaepe alienam et ad morem concionum adaptatam, qua re interdum garrulitas efficitur, abundantiam sententiarum, quae per se ipsae egregiae tamen melius a magistris et philosophis dicuntur neque heroum ingeniis dignae sunt, denique formarum, metri, totius orationis negligentiam, imminentis tragoediae in-

teritus signum, reperimus; Aeschyli simplicitas severa et magnifica propria est.

Neque tamen certam quandam generis dicendi speciem dialogo Aeschyleo tribuere possumus. Aeschyli enim oratio, cum, ut supra diximus, primus sermonem tragicum in artis formam redegerit, summam habet inaequalitatem non in sola personarum et affectuum diversitate positam, tum summam simplicitatem et imperfecti aliquid, quae ex ea potissimum re, quod cum in choris lyricos et inter hos Pindarum aequalem, cujus ingenium omnibus fere ex partibus Aeschyli simillimum erat, sequi posset, in dialogis neminem nisi Homerum et epicos, quorum carmina a re tragica aliena sunt, imitandos habebat, a nobis intelligi possunt, austeritatem et acerbitatem, obscuritatem et audaciam, omnia tamen magnitudine illa et magnificentia et sententiarum et singularum vocum perfusa, quae ut elatio et sublimitas dialogorum Aeschyleorum praeter ceteros propria sint efficiunt. In tali igitur dicendi genere primum quid Aeschylus ex Homeri usu deprompserit, brevi ostendam, deinde ex imaginibus et figuris quae dixi vera esse probare conabor.

Vestigia usus Homerici apud Aeschylum inventa non quod adsunt — nam quis poëta Graecus illius temporis, cum ex Homero omnis fere poësis Graeca emanasse videatur, qua de causa pater poëseos appellatus est, iis omnino careat — sed quod et ea quae ex Homero deprompta et ea quae per analogiam formata sunt, tam frequenter occurrunt, ut ad totius dictionis colorem aliquid valeant, inter proprietates Aeschyleas nobis sunt enumeranda.

Atque primum permultae circumlocutiones sunt fnotandae, quas in quatuor partes dividere possumus: circumlocutiones personarum, locorum, rerum, verborum. In circumlocatione autem personarnm nonnulla vocabula quibus circumlocutionis fiunt, quod idem atque notiones circumscriptae valent, nihil aliud inis ubertatem orationis efficiunt, quo pertinent δέμας Eum. 87,[1])

1) Numeros citavi ex editione Hermanni.

Pro 365, 1023 Spt. 523 etc. σχῆμα Spt. 469; **pars cum genetivo nominis proprii pro nomine proprio posita est:** κάρα Ag. 872, ὄμματα Πειθοῦς Eum. 955 an; **aliis vocabulis circumscribentibus ea virtus, quae cum iis, quae qui de persona loquitur eam facere vel fecisse vel facturam esse dicit, optime convenit, significatur;** eo pertinent κράτος Eum. 27, Ag. 597 etc. ἰσχὺς Spt. 1061, σθένος Eum. 286, βία Spt. 429, 552 622, etc. dubium Cho. 881 τέθνηκας, φίλτατ' Αἰγίσθου βία. **Sequuntur adjectiva e nominibus propriis derivata,** quibus pro genetivo nominum propriorum positis Aeschylus valde delectatur: Ag. 1487 an Ἀγαμεμνονίαν ἄλοχον, Cho. 847 an Ἀγαμεμνονίων οἴκων, Pro. 367 ῥίζαισιν Αἰτναίαις, Pro. 620 βούλευμα μὲν τὸ Δῖον, Pro. 655 τὸ Δῖον ὄμμα, Pro. 1037 στόμα τὸ Δῖον, Sept. 990 Καδμείας πόλεως.

Secundum genus est locorum, cujus permulta exstant exempla: Ἰλίου πόλιν Ag. 29. 1246. Eum. 449, ἄστυ Σούσων Pers. 530 an. 731, 762; Eum. 292 Φλεγραιάν πλάκα, Pers. 360 τέμενος αἰθέρος, Ag. 866 πηγαῖον ῥέος, Eum. 698 Πέλοπος ἐν τόποις, Pro. 1 πέδον χθονός, Pers. 17 Κίσσινον ἕρκος, Pro. 396 λευρὰν οἶμον αἰθέρος etc.

Insolentius est tertium genus rerum Ag. 482 φέγγος ἔτους pro ἔτος, Eum. 818 κελαινοῦ κύματος πικρὸν μένος pro θυμός, Cho. 672 λέβητος πλευρώματα pro λέβης, Eum. 1003 φέγγη λαμπάδων pro λαμπάδες, Pro. 7 πυρὸς σέλας pro πῦρ, Pro. 499 κύκλος ἡλίου pro ἥλιος, Pro. 1027 σώματος ῥάκος pro σῶμα, **postremo duae audacissimae circumlocutiones** Eum. 891 ποντία δρόσος pro πόντος et Pers. 423 νυκτὸς ὄμμα pro νύξ[1]).

Restat quartum verborum, inter quae praeter τιθέναι cum substantivo (Spt. 46 κατασκαφὰς τιθέναι pro κατασκάπτειν, Spt. 182 βλάβην τιθέναι pro βλάπτειν, Ag. 1018 σχολὴν τιθέναι pro σχολάζειν etc.) **duo potissimum propter constructionem verbi circumscripti servatam memoranda sunt:**

---

1) νυκτὸς ὄμμα luna Spt. 371, Soph. Ant. 104 ch. ὄμμ' αὐγᾶς et Eur. Iph. T. 187 appellatur.

Ag. 781 ἀνδροθνῆτας Ἰλίου φθορὰς
ἐς αἱματηρὸν τεῦχος οὐ διχορρόπως
ψήφους ἔθεντο

ubi audacissime ψήφους ἔθεντο duplicitor, ad φθορὰς pro ψηφίζεσθαι, propria notione praeditum ad ἐς-τεῦχος ab Aeschylo positum est et Spt. 552 κακοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν pro πολλὰ κακολογεῖ Τυδέως βίαν.

Deinde Aeschylus conjunctionem duorum substantivorum, quorum alterum genus alterum speciem significat, quem usum dicendi Atticos et praecipue oratores in uno vocativo servasse notum est, Homerum secutus in omnibus casibus habet: nominat: Spt. 447 ἀνὴρ δ' ὁπλίτης, Cho. 981 φηλήτης ἀνήρ, Eum. 16 πρυμνήτης ἄναξ, Eum. 293 ταγοῦχος ὡς ἀνήρ, Spt. 42 ἄνδρες γάρ -λοχαγέται; genet: Suppl. 248 φωτὸς ἰατροῦ, Eum. 448 ἀνδρῶν ναυβατῶν; dat: Ag. 1596 ἀνδρὶ στρατηγῷ, Spt. 586 σὺν πολίταις ἀνδράσιν; accus: Eum. 757 ἄνδρα .δεῦρο προμνήτην; vocat: Cho. 74 δμωαὶ γυναῖκες. Simillimum est, si pronomen ad personam pertinens cum substantivo, quod partem corporis significat, eodem casu conjungitur, quam figuram σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος vocamus Cho. 177 ἐμοὶ προσέστη καρδίᾳ, Suppl. 364 φόβος μ' ἔχει φρένας, Eum. 17 νιν ἔνθεον κτίσας φρένα, Eum. 91 μὴ φόβος σε νικάτω φρένας, Cho 1052 ποταίνιον γὰρ αἷμάσοι χεροῖν, (cf. Soph. Trach. 778, Ay. 408 etc.) audacissime Pers. 821 θῖνες σημανοῦσι τριτοσπόρῳ γονῇ-ὄμμασιν βροτῶν.

Ex usu pleonasmi, de quo infra dicendum erit, id solum, ad verba, quae quid sensibus percipiatur significant, abundanter sensum ipsum addi, ad usum Homeri referendum est; talis generis sunt Eum. 35 ὀφθαλμοῖς δρακεῖν, Pro 69 δυσθέατον ὄμμασι, Pers 49 an φοβερὰν ὄψιν προσιδέσθαι, Suppl. 686 ὄμμασιν βλέπουσ' ὁδόν; similis pleonasmus Cho. 733 ἐν στέρνοις φρένα, et Ag. 519 ἐνδακρύειν (vel ἐκδακρύειν secundum Hermannum) ὄμμασι.

In comparationibus res cum re comparata particula omissa ita miscetur, ut jam non imago sed appositio sit: Ag. 769 an θάρσος ἑκούσιον ἀνδράσι θνήσκουσι κομίζων „animos morientium

confirmabas" pro „eras ut qui animos Ac", in qua interpretatione Schneidewinium secutus sum (cf. Bamberger Philol. 7, 157), Ag. 1217 *αὕτη δίπους λέαινα* pro „*ὡς δίπ. λε.*, Pro. 859 *οἱ δ' ἐπτοημένοι φρένας κίρκοι πελειῶν*" pro „*ὡς κίρκοι*"; singulare Spt. 484, ubi ita miscentur, at res comparata (*λέαινα, αἰετός* etc.) sit omissa; alterum miscendi genus est, si res et res comparata particula conjunctiva vel disjunctiva inter se junguntur:

Ag. 307 *ὄξος τ' ἄλειφά τ' ἐγχέας ταὐτῷ κύτει*
διχοστατοῦντ' ἄν, οὐ φίλω, προσεννέποις
καὶ τῶν ἁλόντων καὶ κρατησάντων δίχα
φθογγὰς ἀκούειν ἔστι pro „*ὥσπερ-διχοστατεῖ, οὕτως*",

Cho. 254 *οὔτ' αἰετοῦ γένεθλ' ἀποφθείρας, πάλιν Πέμπειν ἔχοις-οὔτ' ἀρχικός σοι πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν Βωμοῖς ἀρήξει* pro „*ὡς αἰετοῦ-οὐκ ἂν ἔχοις-οὕτως.*

Neque tamen hoc secundum genus comparativum solum ex duarum constructionum mixtura explicari potest, sed in eo secundam ex Homero depromptam dictionis Aeschyleae proprietatem invenimus, constructionem enunciatorum saepe paratacticam esse, ubi hypotacticam exspectaveris. Quae constructio sicut in sermone vulgari, quo quisque minus litteris imbutus est, eo frequentius usurpatur, ita apud scriptores et praecipue poëtas, qui apud omnes fere populos prius quam scriptores exstiterunt, quo minus dicendi genus, quo quis utitur, a prioribus excultum et expolitum quasi adolevit, eo crebrius occurrit: creberrime igitur apud Homerum, creberrime apud Aeschylum quoque et propter generis poëtici novitatem et propter Homeri imitationem invenitur. Qua de causa continuatione verborum particulis causalibus, temporalibus, conditionalibus etc. artificiose exstructa omnino fere abstinet, contra constructione parenthetica, particulis copulativis, disjunctivis, praecipue adversativis, etiam ibi, ubi nulla aut alia particula erat usurpanda, crebro utitur. Cujus rei exempla cum, quod totam dictionem complectuntur, innumera sint, perpauca attulisse sufficiat, initium autem facia-

mus, si placit, a δέ, quod epexegeticum vocatur: Cho. 500 παῖδες ἀνδρὶ κληδόνες φελλοὶ δ' ὣς ἄγουσι, Spt. 447 ἐσχημάτισται δ' ἀσπίς-ἀνὴρ δ' ὁπλίτης, Pro. 516 δεσμὰ φυγγάνω Τέχνη δ' ἀνάγκης ἀσθενεστέρα etc; sequatur δέ apodoticon post εἰ positum: Ag. 1020 εἰ δ' ἀξυνήμων σὺ δ' ἀντὶ φωνῆς φράζε, Eum. 874 ἀλλ' εἰ ἁγνόν ἐστι-σὺ δ' οὖν μένοις ἄν; post ὡς Pers. 409 ὡς δὲ πλῆθος-ἠθροιστο-ἀρωγὴ δ' οὔτις παρῆν etc; deinde δέ appositioni adjectum Cho. 827 νέαν φάτιν-μόρον δ' Ὀρέστου, Ag. 1365 ἐμὸς πόσις-νεκρὸς δέ etc; tum δέ insolentius particulae concessivae loco positum Ag. 756 an πᾶς τις ἕτοιμος δῆγμα δὲ λύπης οὐδὲν-προσικνεῖται, ubi sensus est „ad flendum omnes sunt parati, quamvis nihil doleant; denique δέ ut ita dicam parentheticum pronominis relativi loco, qua re nihil frequentius apud Homerum.: Pro 356 Τυφῶνα θοῦρον, πᾶσι δ' ἀντέστη θεοῖς, Spt. 551 ἕκτον λέγοιμ' ἂν ἄνδρα-Ὁμολωίσιν δὲ πρὸς πύλαις βάζει, Spt. 414 ἔχει δὲ σῆμα γυμνὸν ἄνδρα-φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χερῶν, Spt. 535 ἔστιν-ἀνὴρ ἄκομπος, χεὶρ δ' ὁρᾷ τὸ δράσιμον etc; eodem modo usurpatur γάρ pro particula διότι Cho. 681 καὶ νῦν Ὀρέστης, ἦν γὰρ εὐβόλως ἔχων, Eum. 229 ἐγὼ δ', ἄγει γὰρ αἷμα, Pro. 342 τὰ μὲν σ' ἐπαινῶ-προθυμίας γὰρ οὐδὲν ἐλλείπεις etc; καὶ γάρ Suppl. 898 ἀλλ' ὡς ἐννέπω, καὶ γὰρ πρέπει. Hic mihi commemorare liceat, uno loco γάρ vim particulae δέ habere Eum. 739, ubi, postquam Orestes dixit:

„Νῦν ἀγχόνης μοι τέρματ' ἢ φάος βλέπειν“

chorus respondet:

„Ἡμῖν γὰρ ἔρρειν ἢ πρόσω τιμὰς νέμειν.“

Postremo ut quomodo longiorem enunciatorum constructionem ex particulis conjunctivis et adversativis exstruxerit Aeschylus, ostendam, unum exemplum, ex quo clarissime apparet, afferam Pers. 745—51: παῖς δ' ἐμὸς τά δ' ἤνυσεν, — ὅστις ἤλπισε σχήσειν Βόσπορον, καὶ πόρον μετερρύθμιζε καὶ πολλὴν κέλευθον ἤνυσε, θνητὸς ὤν, θεῶν δὲ πάντων ᾤετο κρατήσειν.

Quoniam quibus in rebus Aeschylus Homerum secutus sit, absolvimus, jam ad illas proprietates transeamus, quae ex illis quae

ex illis quae supra dixi quasi fundamentis et radicibus dictionis Aeschyleae ortae sint. Itaque cum dictionis abruptae et imperfectae minusque excultae anacolutha, aposiopeses, inconcinnitates, asyndeta, austerae et magnificae abundantia epithetorum, imagines audacissimae, pleonasmi, audacior verborum conjunctio propria sint, quantum his omnibus Aeschylus in dialogis indulserit, ordine consideremus.

Initium igitur petamus ex anacolutho.

Sed cum viri doctissimi, quid inter anacoluthon et inconcinnitatem intersit, inter se dissentiant, priusquam incipiam, quo modo ea distinuerim explicabo. Anacolutha autem mihi videntur ea enunciata, ubi constructio totius enunciati finita non est, ita ut aliquid desit, aliquid abundet quod ex alia modo cogitata constructione pendeat: inconcinna ea, ubi, cum totius enunciati constructio finita sit, singulae dicendi partes, quae sensu inter se junctae sunt, non item aequalitatem grammaticam servant. Quibus praemissis ad anacoluthon transeamus.

Notissimum autem omnium anacoluthorum est participii nominativus genetivi aut absoluti aut ex vocabulo aliquo sententiae primariae pendentis loco positus Cho. 514 τὶς ἐκχέας πάνταμάτην ὁ μόχθος Eum. 98 ἐγὼ δ' ὧδ' ἀπητιμασμένη οὐκ ἐκλείπεται, Eum. 103 παθοῦσα οὐδεὶς ὑπέρ μου μηνύεται, Eum. 469 καὶ μὴ τυχοῦσαι-ἰὸς αἰανὴ νόσος (sc. ἔσται), Suppl. 170 κρατοῦσα μὲν-θράσος (sc. ἐστί) δείσασα-δὲ πλέον κακόν,[1]) audacissime accusativi vim habet nominativus Cho. 1056 Λοξίου δὲ προσθιγών, Ἐλεύθερόν σε κτίσει, ubi accusativum participii exspectaveris; similiter Spt. 662 ἀνδρῶν δ' ὁμαίμων θάνατος ὧδ' αὐτόκτονος-οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος.

Contrarium est, si quamvis subjectum idem sit, tamen genetivum participii pro nominativo invenimus: Ag. 935 σοῦ μολόντος-θάλπος σημαίνεις μολόν pro: θάλπος ἔμολε, Ag. 1383

1) alius generis est Cho. 745 πρόμαντις οὖσα-γναφεὺς τροφεύς τε-εἰχέτην ubi verbum duas subjecti appositiones sequitur.

λέγω δέ σοι Τοιαῦτ' ἀπειλεῖν ὡς παρεσκευασμένης. Particula δέ participium Suppl. 354 cum verbo finito jungitur: ἐγὼ δ' ἂν οὐ κραίνοιμ' ὑπόσχεσιν, Ἀστοῖς δὲ κοινώσας, ubi praeterea vi particulae πρίν audacissime est instructum. Substantivi casum initio enunciati ita positum, ut ad nihil pertineat, legimus Spt. 381 καὶ νύκτα ταύτην-τάχ' ἂν γένοιτο μάντις ἡ ἀνοία; verbum sententiae primariae ex verbo sententiae interpositae pendet Pers. 188 τούτω στάσιν τιν' ὡς ἐγὼ 'δόκουν ὁρᾶν Τεύχειν. Idem, quod in sententia interposita dictum est, post longiorem illius partem sententia primaria complectitur: Spt. 34 ὡς ὁ μάντις φησίν-οὗτος λέγει. Deinde de duobus enunciatis, quorum cum prius particulam τε habeat, in altero καί exspectes, alterum cum relativo, quod ad aliquod vocabulum prioris pertinet, particulis μέν-δέ ita jungitur, ut ne relativum quidem sequatur sed ex usu illo Homerico sententia primaria fiat Ag. 99 an τούτων λέξασ'-παίων τε γενοῦ τῆσδε μερίμνης, ἣ νῦν τότε μὲν κακόφρων τελέθει, τότε δ' ἐκ θυσιῶν-ἐλπὶς ἀμύνει.

Iam vero ad anacolutha difficiliora et magis contorta venimus, quae singula consideremus necesse est; difficillima autem in sermonibus hominum inferiorum, inter quos in Agamemnone custos et praeco, in Choëphoris nutrix omnes ceteros corrupto et obscuro dicendi genere longe superant, ut quantum a personis vere tragicis distent, etiam sermone demonstretur, non solum apud Aeschylum sed etiam apud Sophoclem invenimus. Ex his igitur ordiamur.

Ag 12 (custos) εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσον τ' ἔχω
εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην.
τί μήν; φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ.

Hic anacoluthon ex ea re ortum est, quod cum quae in propositione sequenti dicenda erant, propositio antecedens contineat, in propositione sequenti causa enunciati affertur. Custos enim dicere vult: ne tum quidem cum in cubili sum, dormire possum", sed cum verbis „ὀνείρ. οὐκ ἐπισκ." illud jam dictum sit, in propositione sequenti, cur dormire non possit, explicat.

Ag. 546 (praeco) παροίχεται πόνος·
παροίχεται δέ, τοῖσι μὲν τεθνηκόσιν
τὸ μή ποτ' αὖθις μηδ' ἀναστῆναι μέλειν.
τί τοὺς ἀναλωθέντας ἐν ψήφῳ λέγειν,
τὸν ζῶντα δ' ἀλγεῖν χρὴ τύχης παλιγκότου;
καὶ πολλὰ χαίρειν συμφοραῖς καταξιῶ·
ἡμῖν δὲ τοῖς λοιποῖσιν 'Αργείων στρατοῦ
νικᾷ τὸ κέρδος.

Verba τί τούς-καταξιῶ falsum habent locum inter τοῖσι μέν et ἡμῖν δέ, cum non magis ad τοῖσι μὲν τεθνηκ. quam ad ἡμῖν δέ pertineant. Accedit, ut indicativus νικᾷ pro infinitivo positus sit.

Ag. 616 (praeco) ὅταν δ' ἀπευκτὰ πήματ' ἄγγελος πόλει
στυγνῷ προσώπῳ πτωσίμου στρατοῦ φέρῃ,
πόλει μὲν ἕλκος ἓν τὸ δήμιον τυχεῖν,
πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων
ἄνδρας — (622) τοιῶνδε πημάτων σεσαγμένον
πρέπει λέγειν.

Hoc loco cum duae objecti appositiones πόλει μέν-πολλοὺς δέ, quamvis altera infinitivum τυχεῖν, altera participium ἐξαγισθέντας habeat, audacissime particulis μέν-δέ junctae sint, praeterea, quid totum sibi velit enunciatum, v. 622 verbis τοιῶνδε-σεσαγμένον constructione mutata repetitum est. Alius generis est anacoluthon in versu sequenti v. 625 „σωτηρίων δὲ πραγμάτων εὐάγγελον ἥκοντα-πῶς κεδνὰ τοῖς κακοῖσι συμμίξω;, ubi brachylogia quaedam anacoluthi causa est; perfecta enim sententia cum haec sit-nuntio laeta afferenti mala immiscere non licet, ergo mala non immiscebo" more vulgari praeco sententiam generalem propositionis antecedentis in prop. sequ. ad se solum refert.

Cho. 735—50 (nutrix) 735 τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τλημόνως ἤντλουν κακά· — 750 τεθνηκότος δὲ νῦν τάλαινα πεύθομαι.

Dicere vult τὰ μὲν ἄλλα ἤντλουν, νῦν δὲ 'Ορέστην φίλον τεθνάναι ἀκούων ἀντέχεσθαι οὐ δύναμαι. Itaque cum verbis

φίλον δ' Ὀρέστην sermonem inceperit, pro garrulitate senili, quae, quodcunque in mentem venit, dicendi ratione non adhibita in idem enunciatum quasi incalcet, quo modo loqui coeperit, oblita est; anacoluthi autem vis hoc loco ea re augetur, quod intra anacoluthon v. 745 alterum, de quo supra diximus[1]), invenimus.

Pers. 477 (nuntius) στρατὸς δ'-διώλλυθ' οἳ μὲν πονοῦντες, οἵδ'-ἐκπερῶμεν, ubi pro participio quod participio respondeat, verbum finitum invenitur.

Reliqua anacolutha sunt in personarum vere tragicarum sermonibus:

Eum. 680—85 πάγον δ' ὄρειον τόνδ' — 685 ἐν δὲ τῷ, ubi propter appositionum abundantiam, quibus et relativa et primariae sententiae sunt addita, constructionis inceptae finis non fit.

Eum. 618 καὶ ταῦτα πρὸς γοναικός, οὔτι θουρίοις τόξοις-ἀλλ' ὡς ἀκούσει ἀπὸ-στρατείας γάρ, ubi non tam anacoluthon quam brachylogiam invenisse mihi videor, cum οὕτως post ἀλλ' supplendum et γάρ particula epexegetica interpretanda sit.

Ab anacolutho aposiopesis ita differt, ut, cum in illo sententia incepta inconsulto ad finem non perducatur, in hac idem consulto fiat quia major animi affectus, quominus quid sentiat, libere dicat, eum qui loquitur impedit. Est autem gaudium Cho. 187 ἐγὼ δ' ὅπως μὲν-τά δ' αἰνέσω-σαίνομαι δ' ὑπ' ἐλπίδος, ira Ag. 1619 ἀλλ' ἐπεὶ δοκεῖς τάδ' ἔρδειν κοὐ λέγειν, γνώσει τάχα, metus mali ominis Ag. 4-6 ἀλλ' ἢ τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάζει λέγων· Τὸν ἀντίον δὲ τοῖσδ' ἀποστέργω λόγον, dolor Ag. 545 τί ταῦτα πενθεῖν δεῖ; παροίχεται πόνος, infirmitatis conscientia Cho. 1027 Λοξίαν χρήσαντ' ἐμοὶ πράξαντι μὲν — εἶναι,, παρέντα δ' — οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν. —

Iam venimus ad inconcinnitatem, qua cum nihil frequentius sit apud Aeschylum, potissimum inaequalitas sermonis efficitur. Plurima autem sunt exempla, in quibus duae vel plures constructionis partes, quae eandem vim notionemque habent et particulis conjunctivis vel disjunctivis vel adversativis conjunctae sunt, diversas dicendi

1) pag. 9. annot.

habent formas: Huc pertinent: Suppl. 594 ἀῤῥυσιάστους σύν τ' ἀσυλίᾳ, Spt. 239 Ετεοκλ. „γυναικῶν οἷον ὥπασας γένος" Χόρ. „Μοχθηρόν, ὥσπερ ἄνδρες", Spt. 431 Ἀρτέμιδος εὐνοίαισι σύν τ' ἄλλοις θεοῖς, Spt. 603 Λασθένους βίαν-ἀντιτάξομεν, Γέροντα τόν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φύει, Ag. 7 κάτοιδα-ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν,

Cho. 236 προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον
πατέρατε, καὶ τὸ μητρὸς ἐς τὸ σὸν ῥέπει
στέργηθρον,

Cho. 496 θῆλυν ἄρσενός τε-γόον

Cho. 727 ἐπ' ἔργοις διαπεπραγμένοις καλῶς
κείνῃ, δόμοις δὲ τοῖσδε παγκάκως ἔχει

Eum. 890—96 ὁποῖα νείκης μὴ κακῆς ἐπίσκοπα (sc. ἐφύμνει) κἀνέμων ἀήματα-ἐπιστείχειν-καρπόν τε-μὴ κάμνειν-καὶ σωτηρίαν, Pro. 490 διώρισ' οἵτινές τε δεξιοί-Εὐωνύμους τε, Suppl. 7 an οὔτιν'-ψήφῳ γνωσθεῖσαι Ἀλλ' αὐτογενεῖ φυξανορίᾳ, audacissime Suppl. 889—90.

Κήρ. „τοὺς ἀμφὶ Νεῖλον δαίμονας σεβίζομαι."
Βασιλ. „οἱ δ' ἐνθάδ' οὐδέν, ὡς ἐγὼ σέθεν κλύω.";

adjectiva et substantivum in praedicato juncta sunt

Spt. 164 ἦ ταῦτ' ἄριστα καὶ πόλει σωτήρια
στρατῷ τε θάρσος,

adverbium et adjectivum inter se respondent

Ag. 530 τὰ μέν τις ἂν λέξειεν εὐπετῶς ἔχειν,
τά δ' αὖτε κἀπίμομφα

(sc. εἶναι facile ex verbo ἔχειν suppleri potest, concinnius autem κἀπιμόμφως), infinitivus et accusativus cum infinitivo juncti sunt Pers. 165 ταῦτά μοι διπλῆ μέριμνα-μήτε-σέβειν μήτε λάμπειν φῶς. Etiam asperius duo verba et ea plerumque infinitivi formas habentia Aeschylus ita jungit, ut idem substantivum vel pronomen alterius subjectum alterius objectum sit: Eum. 472 ἀμφότερα μένειν (sc. Ἐρινύας) Πέμπειν τε (sc. ἐμέ subj. αὐτάς

obj.), Spt. 410 ἐκπέρσειν πόλιν - φησίν, οὐδὲ τὴν Διὸς Ἔριν - ἐμποδὼν σχεθεῖν (sc. ἑαυτόν), Spt. 1005 οὕτω - τόνδε - δοκεῖ τοὐπιτίμιον λαβεῖν καὶ μήθ' ὁμαρτεῖν μήτε - προςσέβειν (sc. τινά subj. αὐτόν obj.) — ἄτιμον εἶναι, ubi rursus αὐτόν subjectum est, Pro. 666 βάξις ἦλθεν - ἔξω δόμων - ὠθεῖν ἐμέ, ἄφετον ἀλᾶσθαι (sc. ἐμέ subj.); sunt verba finita Spt. 359 Τυδεὺς μέν - βρέμει, πόρον δ' οὐκ ἐᾷ (sc. Τυδέα) περᾶν ὁ μάντις, Pro 175 an καί μ' οὔτε - θέλξει, στερεάς τ' οὔποτ' - καταμηνύσω. Tempora in eadem constructione mutantur Eum. 625 φᾶρος περεσκήνωσεν, ἐν δ' ἀτέρμονι κόπτει, Pers. 491 θεὸς χειμῶνα - ὦρσε, πήγνυσιν δέ, modi Spt. 387 γένοιτ' ἂν καὐτὸς μαντεύσεται, subjecta Pro. 996 ῥιπτέσθω μὲν - φλόξ, λευκοπτέρῳ δέ-κυκάτω (sc. Ζεύς), Spt. 778 στέγει δὲ πύργος καὶ - ἐφραξάμεσθα, Suppl. 473 δεῖ θύειν καὶ πεσεῖν χρηστήρια, personae Eum. 232. 33 δεινὴ γάρ - πέλει τοῦ προστραπαίου μῆνις, εἰ προδῶ, Ag. 487 χαῖρε δ' ἡλίου φάος, ὕπατός τε χώρας Ζεύς (sc. χαιρέτω), casus ex verbo pendentes Eum. 401 πᾶσι-λέγω-τῷδ' ἐφημένῳ ξένῳ, ὑμᾶς δ' ὁμοίας. Quae omnia exempla cum ad constructionis partes pertineant, ut inconcinnitatem in totarum sententiarum conjunctione perlustremus, restat. Invenimus autem duo participia, quorum alterum absolutum alterum conjunctum est, particula καί juncta Eum. 764 ὀρθουμένων (sc. πραγμάτων) δὲ καὶ πόλιν-τιμῶσι-ἡμεῖς εἶμεν εὐμενέστεροι; sententiam primariam et secundariam particulis καί vel μέν - δέ junctas Spt. 797 χαίρειν καὶ δακρύσασθαι πάρα Πόλιν μὲν εὖ πράσσουσαν, οἱ δ' ἐπίσταται - διέλαχον, Ag. 1247 ἐπεὶ εἶδον Ἰλίου πόλιν πράξασαν ὡς ἔπραξεν· οἳ δ' εἶχον πόλιν, Οὕτως ἀπαλλάσσουσι, Spt. 254—61 ἐγὼ δὲ - ἐπεύχομαι θήσειν τρόπαια, δαΐων δ' ἐσθήματα Στέψω pro στέψειν, Ag. 559 χρὴ - εὐλογεῖν πόλιν καὶ τοὺς στρατηγούς, καὶ χάρις τιμήσεται; sententiam, qua esse aliquid dicitur et optativum Suppl. 426—32 καὶ δώμασιν μὲν - γένοιτ' ἂν ἄλλα - ὅπως δ' ὅμαιμον αἷμα μὴ γενήσεται Δεῖ κάρτα θύειν, qui locus ellipsi explicandus. nam cum „opibus amissis aliae pari possunt, non item potest sanguis fusus reparari; quam ob rem oro ut" sententia integra sit, hoc loco media pars est omissa.

Alia inconcinnitatis genera sunt zeugma et constructio ad intellectum. Legitur autem zeugma audacissimum Ag. 539, ubi verbum non ad propius sed ad remotius subjectum refertur:

Ἐξ οὐρανοῦ γὰρ κἀπὸ γῆς λειμωνίας
δρόσοι κατεψέκαζον;

alia sunt Pro. 22

Ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτοῦ
ὄψει,

Suppl. 976 πρὸς ταῦτα μὴ πάθωμεν, ὧν πολὺς πόνος,
πολὺς δὲ πόντος οὕνεκ' ἠρόθη δορί.

In constructione ad intellectum cum de choro agatur, ab omnibus tragicis singularem et pluralem numerum saepius commutari notum est velut: Suppl. 709 ἐπεὶ τελεία ψῆφος-τέκνα, θάρσει, μαχοῦνται περὶ σέθεν, Suppl. 258 ἔχοντες-γένος τ' ἂν ἐξεύχοιο, similiter Eum. 936 ἢ τάδ' ἀκούετε-φρούριον, Suppl. 173 ἀρχηγέται-ἐπόρνυται, cum unum terrae dominum ἀρχηγέται: significet, Pers. 602 βροτοῖσιν ὡς ὅταν ἐπέλθῃ δειμαίνειν φιλεῖ, ubi βροτοῖσιν eandem habet vim atque πᾶς; praeterea propter verborum collocationem notanda Ag. 558 Τροίαν ἑλόντες-στόλος-ἐπασσάλευσαν et Eum. 673 κλύοιτ' ἂν-ἀστικὸς-κρίνοντες, ubi singularis et Cho. 247 ἰδοῦ δὲ γένναν-τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους-οὐ γὰρ ἐντελής, ubi pluralis inter duas alterius numeri formas locum habet; generum mutationem invenimus Ag. 291 φλογὸς μέγαν πώγωνα-φλέγουσαν ad φλογός relatum, Cho. 520 τινὸς βορᾶς χρήζοντα, νεογενὲς δάκος, Cho. 881 ὢ φίλτατ' Αἰγίσθου βία.

Neque minus brachylogiae dictionis Aeschyleae abruptae propriae sunt. Talis generis est pluralis pronominis relativi post singularem Eum. 652 ἔσωσεν ἔρνος, οἷσι μὴ βλάψῃ θεός pro ταῦτα τῶν ἐρνῶν, Pro. 447 ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος pro εὔνοιαν, ἥ ἐστιν ἐν τούτοις, ἅ; accusativus pronominis relativi, cum demonstrativum ex praepositione pendens desit

Pro. 912 ἔσται ταπεινός, οἷον ἐξαρτύεται γάμον pro διὰ τοῦτον, ὅν; alius modi Cho. 270 αἴτιοι πατρός pro αἴτιοι φόνου πατρός, Ag. 1622 κἀγὼ πρόκωπος pro ξίφος πρόκωπον ἔχων, Ag. 1376 ὃς οὐ προτιμῶν, ὡσπερεὶ βοτοῦ μόρον-ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα pro ὃς μόρον παιδός οὐ προτιμῶν ἀλλὰ τιμῶν ὡσπερεί; singulare

Ag. 831 καὶ τὸν μὲν ἥκειν, τὸν δ' ἐπεισφέρειν κακοῦ
κάκιον ἄλλο πῆμα, λάσκοντας δόμοις,

ubi, cum de duabus constructionis partibus particulis μέν-δέ inter se junctis prior imperfecta sit, tamen ea alterius pars, quae ad priorem quoque referenda est, non tota sed mutata ad priorem suppleri debet, deest enim κακὸν πῆμα λάσκοντα; reliquus est usus genetivi illius ex comparativo pendentis, quo non alterum substantivum cum altero sed substantivum cum actione, quae genetivo substantivi notatur, comparatur, cujus rei exempla non solum apud poëtas sed etiam apud scriptores occurrunt: Ag. 251 χάρμα μεῖζον ἐλπίδος κλύειν, Ag. 1336 κρεῖσσον ἐκπηδήματος (audacissime Sophocl. O. R. 1347 κρείσσον' ἀγχόνης majora quam quae suspendio lui possint) etc.

Cum in brachylogia aliquid sit breviter dictum, in ellipsi aliquid, quod nulla difficultate ex continuatione verborum ab audientibus suppletur, ne tardior sit oratio, a poëta omittitur. Invenimus autem apud Aeschylum omissa: substantiva ῥῆσιν Ag. 883 et 1255 μακρὰν ἐκτείνειν (Soph. Ay. 1040 Eur. Med. 1340), ἔπη Ag. 1027 οὐ μὴν πλέω ῥίψασα, γνώμην Ag. 1330 ταύτην ἐπαινεῖν, τριβήν Ag. 1040 οὔτοι-σχολή-τρίβειν, πληγήν Ag. 1346 τρίτην ἐπενδίδωμι, ζεύγλαις Ag. 1610 ζεύξω βαρείαις; verba: 1. verba finita Ag. 1331 κυροῦνθ' ὅπως (sc. κυρεῖ), Cho. 870 ποῖ Κλυταιμνήστρα (sc. ἔβη), Eum. 738 νῦν ἀγχόνης μοι τέρματ', ἢ φάος βλέπειν (sc· μένει quod verbum cum dativo ab Aeschylo jungi notum est), Pers. 208 ὃ δ' οὐδὲν ἄλλο (sc. ἐποίει) ἤ, Pro. 919 ἐγὼ τάδ' οἶδα, χῷ τρόπῳ (sc. γενήσεται); 2. infinitivum Ag. 902 τί δ' ἂν δοκεῖ σοι Πρίαμος (sc. ποιεῖν) εἰ τάδ' ἤνυσεν, Cho. 113 καὶ ταῦτά μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα (sc. ἐξαιτεῖν), 3. participium Cho. 902 οὔτοι σ' ἀπέρριψ' ἐς δό-

μους δορυξένους (sc. πέμψασα); postremo totam sententiam, ad quam sententia sequens refertur: Cho. 901 τεκοῦσα γάρ μ' ἔρριψας ἐς τὸ δυστυχές, ubi οὐδὲν σεβίζω supplendum Cho. 1005 ἔδρασεν ἢ οὐκ ἔδρασε, μαρτυρεῖ δέ μοι (sc. ἀλλ' ἔδρασε), Spt. 699 ἀλλ' αὐτάδελφον αἷμα δρέψασθαι θέλεις; (sc. ἀλλ' οὐχ' ἡμῖν πείθῃ), Eum. 659 ἐγὼ δέ, Παλλάς τὸ σὸν πόλισμα-τεύξω μέγαν, ubi plura omissa: διὰ τοῦτο δός μοι νίκην· τοῦτο ποιησάσῃ χάριν μεγίστην σοι ἀποδώσω. Quae ellipses, quarum magnus numerus exstat, quamvis quae desunt, facile suppleri possint, tamen cum aliquid inquieti et inconstantis habeant, ad inaequalitatem dictionis efficiendam multum valent.

Gravitatis Aeschyleae est proprium ad majorem orationis vim efficiendam id, quod affirmat, non vocabulo affirmativo sed duabus negationibus, quarum altera notionem ei notioni de qua agitur oppositam complectitur, exprimere. Itaque praeter usum illum notum et omnibus Graecis usitatissimum, quod idem, quod affirmative dixerunt, negative repetunt velut Pro. 834 λαμπρῶς κοὐδὲν αἰνικτηρίως, haud ita raro figuram, quae λιτότης vocatur, apud Aeschylum invenimus Ag. 339 οὐκ ἄτιμος, 627 οὐκ ἀμήνιτος θεῶν, 771 οὐδ' ἀφίλως, 1399 οὐ μικρά 1566 οὐ καταίσιον, Cho. 473 οὐτυραννικοῖς τρόποις, 1123 οὐκ ἄνευ δίκης, Eum. 468 οὐκ εὐπέμπελος, Pro. 279 an οὐκ ἀκούσαις, 352 οὐκ εὐάγκαλος, 856 οὐχ ἑκοῦσα, Pers. 412 οὐκ ἀφρασμόνως, 476 οὐκ εὔκοσμος.

Jam sequitur asyndeton, cujus usus apud Aeschylum frequentissimus. Quod quamvis ad inaequale et abruptum dicendi genus efficiendum multum valeat, tamen non tam ex imperfecta oratione ortum quam consulto omnibus fere locis usurpatum esse mihi videtur. Nam cum ii, quorum animi vehementius aut gaudio aut dolore aut ira aut misericordia aut spe aut metu commoti sunt, ut, quid sentiant, quam celerrime in verba effundant, summopere studeant, tales homines asyndetice loquentes optimo jure a poëtis et praecipue a tragicis inducuntur. Optime autem ex omnibus tragicis Aschylus offectus animorum depingit, ergo apud eum plurima asyndeta inveniuntur. Reperimus igitur asyndeta

in praedicatis Ag. 1518 an, ubi Clytaemnestra conjuge interfecto foedissimo mortui odio affecta, quin gaudio exsultet temperare sibi non potest: πρὸς ἡμῶν Κάππεσε κάτθανε etc. Pro. 237, ubi Prometheus pristinarum generis humani miseriarum valde commovetur: ἐγὼ δ' ἐτόλμησ' ἐξελυσάμην βροτούς, Pers. 420, ubi nuntius in clade Persarum describenda ex ipso narrando summum capit dolorem etc. etc. Eadem de causa saepissime duo vel tres imperativi, ut, cui quid imperetur, celerius et attentius id agat, particula conjunctiva carent: duo imperativi Cho. 766 ἄγγελλ' ἰοῦσα πρᾶσσε, Eum. 94 φύλασσε-πομπαῖος ἴσθι, Eum. 179 χωρεῖτ' ἀπαλλάσσεσθε, Eum. 564. Pro 56. 140 an. 698, tres imperativi Pro. 58 ἄρασσε μᾶλλον, σφίγγε, μηδαμῇ χάλα, 276 πείθεσθέ μοι, πείθεσθε, συμπονήσατε, Pro. 394. 941 etc; similiter duo participia Suppl. 686 βλέπουσ' ὁδόν, ἀγανκλύουσα etc.

Restat tertium asyndetorum genus, epithetorum substantivo adjectorum. Etiam in his asyndeton opportunissimum. Nam cum ex ipsa epithetorum abundantia tota dictio majorem vim atque impetum capiat, polysyndeto oratio tardior et languidior et minus elatione illa digna fieret. Neque tamen in his epithetis asyndeton solum notandum. sed in iis contemplandis jam ad alteram proprietatum partem, quae e dictionis austeritate et magnificentia emanat, pergimus.

Primum enim Aeschyleae dictionis magnificentia epithetorum abundantia cognoscitur. Differt autem Aeschylus in usu epithetorum ab usu Homerico ea re, quod, quamvis iis, quae ornantia appellantur, non omnino careat, tamen, si plura uni substantivo adjicit, semper aliquid certi sequitur. Nam plerumque unam certam notionem, quam substantivo adjicere vult, non uno epitheto sed pluribus ita exprimit et illustrat, ut notio illa e diversis partibus pertentata et perspecta esse videatur. Itaque cum copia verborum tum subtilitas in iis eligendis adhibita nostram habet admirationem. Cujus rei nonnulla exempla attulisse, cum ex paucis poëtae proprietas perspici possit, satis erit:

Eum. 676 κερδῶν ἄθικτον τοῦτο βουλευτήριον,
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορός φρούρεμα,

Suppl. 887 Ἑρμῇ μεγίστῳ προξένῳ μαστηρίῳ, Pro. 373 θερμῆς ἀπλήστου βέλεσι πυρπνόου ζάλης, Pro. 928 θαλασσίαν τε γῆς τινάκτειραν νόσον, Τρίαιναν, αἰχμὴν τὴν Ποσειδῶνος, Spt. 251 ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνισον, Ἑλληνικὸν νόμισμα θυστάδος βοῆς etc. conferend. Spt. 553—56. 591—92, Pers. 5 an. 311. Suppl. 163. 399. Pro. 662. Ag. 1232—33, Eum. 23. 466 etc.; polysyndeton invenimus Ag. 1402 ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τεράσκοπος καὶ κοινόλεκτρος πιστὴ ξύνευνος, ναυτίλοις δὲ σέλμασιν Ἰσοτριβής, ubi Clytaemnestra, quid Cassandrae probro vertat, quasi per digitos enumerat.

Deinde pleonasmi usum apud Aeschylum latissime patere invenimus. Praecipue autem compositorum abundantia et componendi audacia, qua Aeschylus ceteros tragicos longe superat, ubertas illa verborum efficitur, qua sermo ornatus et ad magnificentiam et splendorem elatus maxime ab Euripideo differt, aliquantum a Sophocleo, cujus pleonasmi semper consulto usurpati esse videntur. Neque tamen solum ex usu compositorum, quae ut pleonasmus fiat, cum synonymis vocabulorum cum iis conjunctorum composita sint necesse est, sed etiam synonymorum, quae grammatice cum synonymis junguntur, pleonasmi oriri solent. Ex his igitur pleonasmis cum simpliciores quam illi sunt, initium faciamus.

Substantiva cum genetivo substantivi junguntur, quod eandem vel similem notionem atque substantivum regens vel adjectivum cum illo junctum habet: Pro. 6 ἐν ἀρρήκτοις πέδαις ἀδαμαντίνων δεσμῶν, Pro. 885 an λύσσης πνεύματι μαργῷ, Pers. 431 συμφορὰ πάθους, Pers. 231 πρὸς δυσμαῖς Ἡλίου φθινασμάτων, Ag. 525 δύσφρον στύγος φρενῶν Pers 538 an λέκτρων εὐναί. cum adjectivo vel infinitivo Pro. 255 πῦρ φλογωπόν, Pro. 1024 μακρὸν μῆκος χρόνου, Pro. 740 μνηστῆρας γάμων Pers. 422 et 462 πελαγίαν ἅλα, Ag. 1244 ὑπτίασμα κειμένου Cho. 164 εὐσύμβολον

δοξάσαι, Pro. 719 εὔβατος περᾶν Pro. 767 οὐ ῥητὸν αὐδᾶσθαι etc; similiter dictum Cho. 484 μετέχειν μέρος, Pers. 499 φλέγων φλογί, pronomen personale cum possessivo conjunctum Cho. 731 ὥς μοι-ἐμὴν ἤλγυνε φρένα etc. Quo modo cum aliquid, quod substantivi notione jam contineatur, genetivo vel adjectivo vel infinitivo repetatur, ut notio, de qua agitur, clarius emineat, efficitur.

Iam ad eos pleonasmos pergamus, qui ex compositis orti sunt.

1) Altera compositi pars abundanter posita est, ut nihil ad sensum valeat ὁμόστολος Suppl. 480 et ὁμόπτερος Cho. 168 pro ὅμοιος, Pro. 728 ἐχθρόξενος ναύταισι pro ἐχθρός, Pro. 518 Μοῖραι τρίμορφοι, ubi non „tres formas habentes" sed „quae tres sunt" vertendum.

2) composita eandem vel similem habent notionem atque vocabulum, quocum grammatice juncta sunt: Eum. 682 πόλιν νεόπτολιν, Eum. 902 πόλιν ἀστύνικον, Suppl. 432 αἷμα ὅμαιμον Eum. 877 γαμόρον χθονός, Suppl. 184 μετωποσωφρόνων προσώπων, Suppl. 292 βοηλάτην κινητήριον Suppl. 905 δημόπρακτος ἐκ πόλεως, 911 ἐξ ἐλευθεροστόμου γλώσσης, Pro. 857 γέννα θηλύσπορος Pers. 234 ἀνδροπλήθεια στρατοῦ, Pers. 702 βίοτος εὐαίων; Ag. 56 an οἰωνόθροος γόος, Ag. 1359 γλῶσσα θρασύστομος Pro. 957 σεμνόστομος μῦθος, Spt. 53 σιδηρόφρον θυμός, Ag. 443 κάσις σύνουρος, 1495 an θάνατος ξιφοδήλητος, ubi pro „mors gladio interfecta" „mors gladio suscepta" vertendum, nisi δήλητος, ut persaepe apud Aeschylum adjectiva in-τος, activam vim habet, 1524 an ὠκύπορον πόρθμευμα, Eum. 37 ποδωκίᾳ σκελῶν, Cho. 268 δυςχειμέρους ἄτας Suppl 598 φυγῇ δημηλάτῳ, Cho. 150 ὑπερκόπως μέγα χλίουσι, Pers. 730 παμπήδην δὲ πᾶς λαὸς κατέφθαρται, Pers. 795 et 829 ὑπερπόλλους ἄγαν etc etc.

3) in verbis nonnullis cum objectis compositis compositionis vis ita est deleta, ut novum objectum accipere possint: Pers. 458 κρεοκοπεῖν μέλη, Pers. 777 οἰακοστροφεῖν θυμόν (οἰακοστρόφος ἀνάγκης Spt. 62. Pro. 517), Ag. 1554 ἀδελφόν-ἠνδρηλά-

τησε; his tribus locis objectum novum ab objecto composito non abhorret, sed vel appositio vel genetivus ex illo pendens est interpretandum; audacius Ag. 647 βουκολεῖσθαι πάθος et Eum. 81 πόνον βουκολεῖσθαι totius compositi notio, quamvis objectum compositum concretum ejus modi sit, ut transferri non possit (nam Ag. 36 βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας βέβακεν non substantivum βοῦς sed tota sententia tropica est) in notionem tropicam abiit; audacissime Spt. 633 ναυκληρεῖν πόλιν dictum est, cum alterum objectum alterum tollat (conferendum tamen Soph. Antig. 499 τήνδε ναυκληρεῖς πόλιν, Hom. Il. 20, 221 ἵπποι ἐβουκολέοντο, in prosa oratione οἰκοδομεῖν ναῦν Plat. de re publ. III, 594 a (οἰκοδόμησις), in lingua Latina navem aedificare, in Germana „silbernes Hufeisen" „goldene Stahlfeder")

Restat ut duo synoyma non grammatice sed particula copulativa juncta sint, cujus rei exemplum ex Aristophanis Ranis 1157 notissimum, Cho. 3 ἥκω καὶ κατέρχομαι; alia exempla sunt: verborum Cho. 522 τελευτᾷ καὶ καρανοῦται, Ag. 1203 πέφρικα καὶ φόβος μ' ἔχει, Pers. 294 ζῇ καὶ βλέπει φάος; substantivorum Spt. 36 σκοποὺς-καὶ κατοπτῆρας; adjectivorum Cho. 202 ὁμοῖοι ἐμφερεῖς τε; adverbiorum Eum. 1005 εἰς τοὺς ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόπους; particula temporali conjuncta sunt verba Cho. 729 ἢ δὴ κλύων-εὖτ' ἂν πύθηται (cf. Soph. Trach. 908 εἴ του βλέψειεν-εἰσορωμένη).

Imaginum cum quo cujusque dictio elatior et sublimior sit, eo major sit copia, paene innumeras apud Aeschylum invenimus, ut eas enumerare longum sit. Sicut autem omnia apud Aeschylum grandia et austera sunt, ita inter imagines quoque non tam gratae venustaeve quam magnificae et tristes reperiuntur. Itaque segetis liquore a Jove dato laetae imagine, quam apud ceteros poëtas persaepe invenimus, semel

Ag. 1350—52 utitur: βάλλει μ' ἐρεμνῇ ψακάδι φοινίας δρόσου
χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ διοςδότῳ
γάνει σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν

ubi tamen propter atrocitatem rei, quacum seges comparatur,

imago etiam tristior et austerior fit quam ceterae; dicit enim Clytaemnestra se nigris roris sanguinei (sc. Agamemnonis morientis) guttis aspersam non minus exsultasse quam segetum semen in spicis parturiendis liquore a Jove dato.

Contra plurimas de iis, quae in natura magna sunt aut fiunt, et in his praecipue de mari, ventis, navigatione, piscatione, bello, venatione, feris etc. depromptas imagines Aeschylus habet. Cujus rei exemplis, cum frequentissima sint, omissis, pauca, quae insolentiora et audaciora sunt, et hinc et aliunde petita afferam.

Magnitudo calamitatis cum mari comparatur Suppl. 452—54 *κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὥς ἐπέρχεται, Ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον Τόδ' ἐσβέβηκα.* Pro. 747 *δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης,* Pro. 888 an *πρὸς κύμασιν ἄτης,* Pro. 1019 *κακῶν τρικυμία,* Pers. 428 *κακῶν πέλαγος,* Pers. 460 *κακῶν ὁρῶν βάθος,* Pers. 713 *πρὶν κακῶν ἰδεῖν βάθος,* Ag. 1140 *ὥστε κύματος δίκην κλύζειν πρὸς αὐγὰς τοῦδε πήματος πολὺ Μεῖζον;* prudentia cum mari, quo oculus videns urinatoris ritu se submergere debet

Suppl. 393—95 *δεῖ τοι βαθείας φροντίδος σωτηρίου*
δίκην κολυμβητῆρος ἐς βυθὸν μολεῖν
δεδορκὸς ὄμμα;

vaticinium cum vento turbulento, qui cum sole oriente nasci solet

Ag. 1139 *λαμπρὸς δ'* (sc. *χρησμός*) *ἔοικεν ἡλίου πρὸς ἀντολὰς*
πνέων ἐσῆξειν,

anima cum navi

Suppl. 958 *τοιῶνδε τυγχάνοντας ἐν πρύμνῃ φρενὸς*
χάριν σέβεσθαι τιμιωτέραν θέμις;

liberi cum suberibus rete servantibus

Cho. 499 *παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι*
θανόντι· φελλοὶ δ' ὥς ἄγουσι δικτυον,
τὸν ἐκ βυθοῦ κλωστῆρα σώζοντες λίνου;

fortes viri cum incudibus Pers. 52 an Μάρδων Θάρυβις, λόγχης ἄκμονες; animus justus cum agro fertili

Spt. 574 βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα;

sol cum gallo gallinaceo

Suppl. 199 „καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε"
chorus „καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου";

strepitus maris cum risu Pro. 90 ποντίων τε κυμάτων Ἀνήριθμον γέλασμα (de qua imagine cfr. Bloomf. gloss. in Prom. 90); pulvis luti frater vocatur Ag. 473 κόνις κάσις πηλοῦ; fumus ignis frater Spt. 474 λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν; denique carissima quaeque oculi appellantur: praesentia domini

Pers. 167 ἀμφὶ δ' ὀφθαλμοῖς φόβος.
ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν,

dominum ipse

Cho. 921 τοῦδ' ὅμως αἰτούμεθα
ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν,

cives ingenui et eorum liberi uxoresque

Eum. 1006 ὄμμα γὰρ πάσης χθονός
θησῆδος ἐξίκοιτ' ἄν, εὐκλεὴς λόχος
παίδων, γυναικῶν καὶ πρεσβυτίδων ...

(excidit versus, in quo cives ipsi commemorati sunt, secundum Hermannum); plura collegit exempla Bloomf. gloss: ad Pers: 173; quod tamen loco citato interpretationem „circum oculos timor", cujus metaphorae exempla desint, repellit, Soph. Ay. 140 ch. καὶ πεφόβημαι πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας et Oed. Col. 729 ὁρῶ τιν' ὑμας ὀμμάτων εἰληφότας φόβον afferri possunt.

Postremo de audacioribus imaginibus, quibus epitheton ejus modi, ut notio metaphorae aliqua ex parte tollatur, adjectum est, supra disputavimus, ubi conferendum.

Deinde transeamus ad metonymiam. In qua, ut trita praetermittam, primum Aeschylum saepissime abstractum pro concreto ponere notandum est. Invenimus autem praeter eos locos, ubi neutra pluralis adjectivorum personarum vicibus funguntur, abstracta pro personis his locis: Suppl. 38 an σφετεριξάμενοι πατραδελφείαν, Cho. 967 ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα, Spt. 584 ἢ γὰρ συνεισβὰς πλοῖον-ναύταισι-καὶ πανουργίᾳ, Pers. 504 ὡς στένειν πόλιν Περσῶν, ποθοῦσαν-ἥβην, Pers. 734 οἵαν-ἥβην ἀπώλεσε, Pers. 903 an ·γᾶ δ' αἰάζει-ἥβαν-κταμέναν, audacissime Φόνος pro νεκροί Pers. 415 ναυαγίων πλήθουσα καὶ φόνου βροτῶν; personis apposita sunt Cho. 995 κακόν Cho. 1024 πατροκτόνον μίασμα, Eum. 76 μισήματα, Eum. 194 μύσος Eum. 635 στύγη θεῶν, Spt. 163 θρέμματ' οὐκ ἀνασχετά, Spt. 167 σωφρόνων μισήματα, Spt. 430 φερέγγυον φρούρημα, Pers. 170 πιστώματα, Pers. 774 Μάρδος-αἰσχύνη πάτρᾳ, Pro. 614 ὦ κοινὸν ὠφέλημα, Pers. 626 an πρέσβος, audacissime Ag. 1379 ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα, φιλτάτην ἐμοὶ Ὠδῖνα (cf. Eurip. Phoen. 291 συγγένεια pro συγγενής, Hippol. 408. Med. 1320. Orest. 474. Sophocl .Ant. 756 γυναικὸς ὢν δούλευμα, Elect. 289)

Pro rebus utitur Aeschylus abstractis Pers. 752 πόνος pro eo, quod laboribus partum est, Ag. 890 κάλλη pro iis, quae pulchra sunt. Spt. 44 et Cho. 1007 et Eum. 183 φόνος pro αἷμα, Ag. 927 βαφάς pro eo, quo quid tinguitur, denique Pro. 928 Neptuni tridens νόσος vocatur.

Altera metonymiae pars Aeschyli propria est frequens figurae, quae prosopopoeïa vocatur, usus, cum rebus partes corporis humani audacissime tribuat. Huc pertinent oculi et aures navis Suppl. 686 καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασιν βλέπουσ' ὁδόν, οἴακος-ἄγαν κλύουσα, oculi ignis Pro. 255, πῦρ φλογωπόν, oculi fulminis Pro. 668 κεραυνὸς πυρωπός, maxilla maris Pro. 727 πόντου Σαλμυδησσία γνάθος, maxilla fluminum igneorum Pro. 370 ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις, barba ignis Ag. 291 φλογὸς μέγαν πώγωνα, concinnus ignis Pro. 1048 an πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος, quin etiam abstracto oculi tribuuntur Pro. 792

ἀντολαὶ φλογῶπες, pulchra forma Cho. 484 δὸς δ' εὔμορφον κράτος; etiam audacius alteri corporis parti altera adjicitur Suppl. 746 φρὴν εὔγλωσσος, Spt. 604 ποδῶκες ὄμμα, Spt. 535 χεὶρ δ' ὁρᾷ; res cum verbis vel adjectivis junguntur, quibus actio quaedam personarum propria exprimitur: cum adjectivis: turbo ignivomus Pro. 373 βέλεσιν πυρπνόου ζάλης, fulgur ignivomum Pro. 921 βέλος πυρπνόον ferrum celeripes Cho. 570 ποδώκει χαλκεύματι; cum verbis Ag. 1317 οὐ καθεύδουσιν χερί, quoniam utrum „χείρ μου καθεύδει an „καθεύδω χειρί" dicat, ad sensum nihil differt, Ag. 1138 χρησμὸς ἔσται δεδορκώς, Eum. 552 ὀσμὴ προσγελᾷ με, Cho. 311 an μῦθος τάδε φωνεῖ, ubi substantivum similis atque verbum significationis, quod, objectum esse debuit, subjectum est, nam ἄνθρωποι τοῦτον τὸν μῦθον φωνοῦσι in prosa oratione erat dicendum (item Sophocl. Trach. 345 χὠ λόγος σημαινέτω pro λόγον σήμαινε, et Oed. Col. 658 πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ κατηπείλησαν, de qua re conferend. Benloew de dictione Sophoclea pag. 18); postremo singulariter βλέπειν pro εἶναι positum est Cho. 830 πῶς ταῦτ' ἀληθῆ καὶ βλέποντα δοξάσω.

Quibus absolutis unum restat, ut de audacioribus verborum conjunctionibus paucis disputemus. Nihil autem apud Aeschylum frequentius, nihil ad totum dicendi genus intelligendum aptius quam licentia et audacia in grammatica verborum conjunctione; haec potissimum res, praesertim cum summa compositorum ubertas summopere eam adjuvet, orationem saepius contortam et turgidam et obscuram reddit, propter quem tumorem et obscuritatem Aeschylum a posteris irrisum et neglectum esse scimus; neque Aeschylum nonnunquam modum excessisse negari potest. Sed cum tota dictio summam habeat magnificentiam et majestatem, summam granditatem et sublimitatem, summam vim et elationem, si apud quem apud Aeschylum tantam dicendi licentiam, quippe quae a toto dicendi genere minime discrepet, facillime ferre possumus: Initium autem faciamus ab hypallage, quae apud ceteros quoque poëtas invenitur: Ag. 53 an δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων, 482 δεκάτῳ φέγγει ἔτους, 559 χάρις

Διὸς τάδ' ἐκπράξασα, Cho. 226 Λοξίου μεγασθενὴς χρησμός, 831 πρὸς γυναικῶν δειματούμενοι λόγοι, 1067 an ἀνδρὸς βασίλεια πάθη, Eum. 44 ἐλαίας δ' ὑψιγέννητον κλάδον, 289 χώρας ἐν τόποις Λιβυστικοῖς, 710 πρωτοκτονοῖσι προστροπαῖς Ἰξίονος, Suppl. 900 αὔταν ἐψιονστόλον γυναικῶν, 983 βαθείᾳ μηχανῇ πύργων, Pro. 109 πυρὸς πηγὴν κλοπαίαν, Pro. 676 ἐμμανεῖ σκιρτήματι ᾖσσον, 857 συγγενῆ γάμον ἀνεψιῶν, Pro. 960 ναίειν ἀπενθῆ πέργαμα, 727 πόντου Σαλμυδησσία γνάθος, Suppl. 9:3 καὶ παρθένων χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι, Pers. 246 δράμημα φωτὸς Περσικοῦ; aliud genus hypallages est, si adjectivum, quod personae tribuendum erat, parti corporis tribuitur velut Ag. 313 οὐκέτ' ἐξ ἐλευθέρου Δέρης ἀποιμώζουσι, Ag. 874 τὸν σὸν πόδ' ὦναξ, Ἰλίου πορθήτορα (Soph. O. C. ἐξ εὐμενῶν Στέρνων δέχεσθαι, Eur. Hec. 365 ἀφίημ' ὀμμάτων ἐλευθέρων φέγγος)

Deinde duplicem genetivum ex uno vocabulo pendentem saepius invenimus: alterum personae alterum rei Ag. 310 φθογγὰς συμφορᾶς διπλῆς τῶν ἁλόντων, Ag. 345 an γάγγαμον δουλείας ἄτης παναλώτου, Ag. 1210 τὴν μὲν Θυέστου δαῖτα παιδείων κρεῶν, Eum. 568 φόνου δὲ τοῦδ' ἐγὼ καθάρσιος; alterum alteri epexegetice adjectum Ag. 328 νοστίμου σωτηρίας Κάμψαι διαύλου θάτερον κῶλον πάλιν, Ag. 1411 εὐχῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.

Tum substantivum in eadem constructione grammatica diversa significat: Suppl. 315 τήνδ' ἀνέλπιστον φυγὴν Κέλσειν, ubi φυγὴν ἀνέλπιστον „fugam inopinatam," φυγὴν κέλσειν „fugitivas navem appulsuras esse" significat; similiter ἀξίαν γ' ἐπαξίων dictum, ubi ἀξίαν relative „dignam," ἐπαξίων absolute „quae honoribus digna sunt i. e. honores afferunt" positum est.

Sequitur conjunctio substantivorum abstractorum cum adjectivis, quae talem habent notionem, ut cum concretis solis jungi possint; significatur autem substantivo actio, in qua qui versantur, id quod adjectivo notatur faciunt, ita ut adjectivum paene genetivi substantivi concreti vim habeat Ag. 887 χαμαιπετὲς βόαμα „clamor eorum. qui in terram prolapsi sunt," Cho.

578 ξιφηφόρους ἀγῶνας „certamina, in quibus gladii feruntur", Cho. 715 an ξιφοδηλήτοισιν ἀγῶσι „certamina, in quibus (pugnantes) gladio (hostes) interficiunt", Cho. 1065 an παιδοβόροι μόχθοι „miseriae ex filiis devoratis ortae", Spt. 662 ἀνδροῖν θάνατος αὐτόκτονος „mors virorum se invicem interficientium"; proxima est conjungtio substantivi cum adjectivo, quod actionem significat, in qua substantivum non est subjectum: Cho. 258 βουθύτοις ἐν ἡμέραις „diebus, quibus boves mactantur", Ag. 1560 κρεουργὸν ἦμαρ „dies quo carnes distribuuntur (Soph. Trach. 609 ἡμέρᾳ ταυροσφάγῳ, Antig. 999 θᾶκον ὀρνιθοσκόπον).

Tum substantivum, quo tempus significatur, alteri, quo quid illo tempore factum sit, dicitur, appositive adjicitur Eum. 112 καὶ νυκτίσεμνα δεῖπνα — ἔθυον, ὥραν οὐδενὸς κοινὴν θεοῦ; alia in appositionibus audacia est, si substantivum abstractum cum adjectivo, quod personis solis tribui potest, conjunctum substantivi concreti appositio est Ag. 912 ἀρβύλας (λύοι τάχος) πρόδουλον ἔμβασιν ποδός; nonnunquam adjectivum appositionis vim habet Cho. 254 εὔθοινον γέρας „honor, qui in bonis epulis consistat" 533 ἄκος τομαῖον „remedium quod in secando constat", Eum. 280 καθαρμοὶ χοιρόκτονοι „lustra é porcis mactatis provenientia", Eum. 468 μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον „eam fortunam, ut facile dimitti non possint", Pers. 798 νόστιμος σωτηρία „salus in reditu posita"; appositio ad unam compositi partem pertinet Ag. 749 Τροίας πτολίπορθ'.

Restant nonnullae audaciores verborum conjunctiones, quae cum certam legem non sequantur, singulas enumerabo.

Adjectiva vim substantivi cum priore particula καί conjuncti habent Ag. 781 φθοραὶ ἀνδροθνῆτες pro „καὶ ἀνδρῶν θάνατοι", Cho. 476 ἔμπυρα εὔδειπνα pro „καὶ καλὰ δεῖπνα; idem valet genetivus Ag. 1016 πρὸς σφαγὰς πυρός „ut mactentur et comburantur"; genetivus ex parte compositi pendet Cho. 976 ποδένδυτον νεκροῦ ex ποδ —, Eum. 769 δορὸς νικηφόρον ex νικη —, Pro. 517 οἰακοστρόφος ἀνάγκης et Spt. 62 οἰακοστρόφος ναός ex οἰακο —; substantivum, quod motionem signi-

ficat, cum adjectivo, quo status exprimitur, conjunctum est Ag. 534 παρήξεις κακόστρωτοι; adjectivum originem indicat Ag. 631 κακὰ δυσκύμαντα mala ex fluctibus agitatis provenienta."

Alia multo audaciora dictionis contortae haec sunt exempla: Spt. 267 ἑπτατειχεῖς ἐξόδους „septem murorum exitus," ubi adjectivum et genetivus ad idem substantivum pertinentia in unum compositum constracta sunt, Spt. 445 φιμοί-μυκτηροκόμποις πνεύμασι πληρούμενοι „capistra flatibus ex naribus (equorum) superborum provenientibus impleta," ubi notione equorum omissa flatus naribus superbiens vocatur, ita ut omnia summa licentia mista sint, Spt. 456 ὅς οὔτι μάργων ἱππικῶν φρυαγμάτων Βρόμον φοβηθείς „qui strepitum rabidorum equorum fremitus nihil veritus", ubi pro ἵππων, quamvis adjectivum μάργων habeat, tamen adjectivum ἱππικῶν positum neque μάργων commutatum est; Ag. 1349 κἀκφυσιῶν ὀξεῖαν αἵματος σφαγήν „sanguinem e caede acute erumpens," ubi, αἷμα ἀπὸ τῆς σφαγῆς ὀξέως ἐκφυσιῶν simpliciter erat dicendum; substantivum igitur, quod ex praepositione debebat pendere objectum positum cum genetivo ejus nominis, quod regens esse debebat, et cum adjectivo, quod adverbii vim habet, conjunctum est; Eum. 740 πεμπάζετ' — ἐκβολὰς ψήφων „numerate tesseras ejectas," ubi abstractum pro adjectivo positum cum genetivo substantivi conjunctum est; Eum. 942 an βίος ἀμβλωπὸς δακρύων „vita lacrimarum i. e. misera, in qua oculi lacrimis hebescunt," ubi quod adjectivo exprimitur, ex substantivo cum genetivo conjuncto sequitur, praeterea ex voce βίος ad ἀμβλωπός „ὁ τοῦτον τὸν βίον ἔχων" supplendum.

Postremo nonnulla exempla afferam, quae quamvis haud difficulter intelligantur, tamen grandiloquentiae et tumoris aliquid habent: Spt. 352 σπουδῇ διώκων πομπίμους χνόας ποδῶν „celeriter accurrens," Pers. 360 εὖτ' ἂν — κνέφας τέμενος αἰθέρος λάβῃ, τάξαι „ubi primum nox oborta esset, instrueret"

Pers. 390—91 εὐθὺς δὲ κώπης ῥοθιάδος ξυνεμβολῇ
ἔπαισαν ἅλμην βρύχιον ἐκ κελεύματος

„statim remis naves propellebant," Pro. 468 θαλασσόπλαγκτα — λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα „naves-invenit" etc; obscuriora sunt Eum. 846 μήθ' αἱματηράς, θηγάνας σπλάγχνων, βλάβας, Νέων ἀοίνοις ἐμμανεῖς θυμώμασιν „damna sanguinolenta, viscerum cotes (i. e. animos conterentia) furibunda ira juvenum non ex vino nata,"ubi dicere vult discordiam perpetuam, cujus finis civium caedes est,"

Suppl. 269—70 Κύπριος χαρακτήρ τ' ἐν γυναικείοις τύποις
εἰκὸς πέπληκται τεκτόνων πρὸς ἀρσένων

„similis Cypria nota (i. e. nota Cypriae notae similis) a viris, qui vos genuerunt, formis muliebribus impressa est", cujus loci sensus est „Cypriae esse videmini," Suppl. 588 ἔνισπε-δήμου κρατοῦσα χεὶρ ὅπερ πληθύνεται „dic quo vincens populi manus (i. e. sententia manibus arrectis lata) multitudine praevalente inclinet", id quod idem valet atque „dic, quid populus de nobis statuerit" etc.